

DE DIFFERENTIA JURIS NATURALIS, CONSTITUTIONIS ET CONSUETUDINIS. DISTINCTIO VIII.

DIFFERT autem Jus Naturale a Consuetudine & Constitutione. Nam Jure naturali omnia sunt communia omnibus, quod non solum inter eos servatum creditur, de quibus legitur: Multitudinis autem creditur eras cor unum, & anima una, &c. verum etiam precedentem tempore a Philosophis traditum invenitur. Unde apud Platonem illa civitas iustissime ordinata traditur, in qua quisque proprios necit affectus. Jure vero Consuetudinis, vel Constitutionis, hoc meum est, illud alterius. Unde ait

I. AUGUSTINUS tract. 6. ad cap. 1. Joannis. [Circ. an. Chr. 412. in Africa.]

Jure Divino omnia sunt communia omnibus: Jure vero Consuetudinis, hoc meum, illud alterius est.

Quo Jure defendis villas Ecclesie? a? Divino, an Humano? Divinum Jus in Scripturis habemus, Humanum Jus in Legibus Regum. Unde quisque possidet, quod possidet? Nonne Jure Humano? Nam Jure Divino, Domini est terra, & plenitudo ejus. Pauperes & divites Deus de uno limo fecit; & pauperes & divites una terra supportat. Jure tamen Humano dicitur: Hac villa mea est, hac domus mea, hic servus meus est. Jura autem Humana, Jura Imperatorum sunt. Quare? Quia ipsa Jura Humana per Imperatores & Reges seculi Deus distribuit generi humano. [Item ibidem paulo inferius.]

1. Tolle 8 Jura Imperatorum, & quis audeat dicere: Mea est illa villa; aut, Meus est ille servus; aut, Domus hac mea est? Si autem, ut teneantur ista ab hominibus, Regum Jura fecerunt, vultis, ut reticemus Leges, ut gaudeatis? [Item ibidem paulo inferius.]

2. Legantur Leges, ubi manifeste preceperunt Imperatores, eos, qui preter Ecclesie Catholice communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volumt in pace colere pacis autorem, nihil nomine Ecclesie audeant possidere. 3. Sed quid nobis & Imperatori? Sed jam dixi, De Jure Humano agitur; & tamen Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit: Reges veneremini. Nolite dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo, & possessioni? Per Jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, Quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa Jura Humana renunciant, quibus possidentur possessiones.

Corr. Rom. a Ecclesia. Hac dictio non est apud B. Augustinum. Nam ibi ait contra Donatistas, qui Legibus Imperatorum villas sibi adeptas, & Ecclesie Catholice attributas esse queriebantur. Quare, cum Donatistae dicerent: Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt; ut eos ipse convincat, nullum jus in illis habuisse, aut habere, quibusdam prepositis, addit ista: Quo Jure defendis villas? Divino, &c. Et infra xi. q. 1. c. si que causa. Ubi Gratianus citat initium hujus Capituli, ista dictio, Ecclesia, non habetur. Est tamen apud Anselmum, Ivonem, & in Pannormia locis indicatis.

Quoniam Glossa obstitit, ne omnia emendantur, aut adderentur, quaecumque addenda videbantur, placuit integrum apponere locum B. Augustini. Apud ipsum igitur post verbum Humano, antecedentis Paragraphi, hac sequuntur: Vultis legamus Leges Jurisperitorum, & secundum ipsas agamus de villis? Si Jure Humano vultis possidere, recitemus Leges Imperatorum: videamus, si aliquid voluerint ab Hareticis possideri. Sed quid mihi est Imperator? Secundum Jus ipsius possides terram. Aut tolle Jura Imperatorum, & quis audeat dicere: Mea est illa villa; aut, Meus est ille servus; aut, Domus hac mea est? Si autem, ut teneantur ista ab hominibus, Jura acceperunt Regum, vultis ut recitemus Leges, ut gaudeatis, quia vel unum hortum habeatis, & non impunitis nisi mansuetudinis columbe, quia vel ibi vobis permittitur permanere: leguntur enim Leges manifeste, ubi preceperunt Imperatores, &c.

CONTIUS. Hac epigraphe falsa est, nec hoc sentit Augustinus: quin potius sentit Deum esse autorem legitime rerum divisionis, quando ait, quia ipsa Jura Humana per Imperatores & Rectores seculi Deus distribuit generi humano. Hanc tamen epigrapham consulto hic reliquimus, ut agnoscant pii lectores, quam perverse & perperam, plerumque in hoc Libro bene dicta, a rabulis quibusdam & Juris sophistis, atque Theologastri detorta sint, dum non nisi ex hujusmodi epigraphis summariis sapiunt.

DIGNITATE vero Jus Naturale simpliciter prevalet Consuetudini & Constitutioni. Quaecumque enim vel Moribus recepta sunt, vel Scriptis comprehensa, si naturali Juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt. Unde ait

II. AUGUSTINUS lib. 3. Confess. c. 8. [Circ. ann. Chr. 400. in Africa.]

Adversus Naturale Jus nulli quidquam agere licet.

Qua contra mores hominum sunt flagitia, pro morem diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se, Civitatis aut Gentis Consuetudine, vel Lege firmatum, nulla Civis aut Peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. 1. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumbet jubet, etsi nunquam ibi factum est, faciendum est; & si omnium, instaurandum est; & si institutum non erat, instituendum est. 2. Si enim Regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse umquam jusserat, & non contra societatem civitatis ejus obtemperatur: imo contra societatem non obtemperat; (generale quippe pactum est societatis humanae obedire Regibus suis) quanto magis Deo rectori universae creaturae suae, ad ea quae jussit, sine dubitatione servandum est? Sicut enim in potestatis societatis humanae major potestas minori ad obediendum proponitur, ita Deus omnibus.

III. Item NICOLAUS Papa I. Hincmaro Remensi Archiepiscopo. [Ann. Chr. 866. Romae in Galliam.]

Radicitus est evellenda perniciosa Consuetudo.

Mala Consuetudo, quae non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum Jus ab improbis assumitur; & incipit pravariationes & variae praesumptiones celerem non compressa pro Legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.

Corr. Rom. Caput hoc est ex Epistola Nicolai, quae incipit, Epistolam Beati Augustini. extatque una cum aliis ejusdem & aliorum Pontificum Epistolis manuscriptis Romae, in Bibliotheca Monasterii Dominicanorum, ex qua hoc Caput emendatum est.

CONTIUS. Nicolaus Papa fedit circa annum Christi dcccxxi. imperantibus in Oriente Michaelis, & in Occidente Ludovico II.

IV. Item AUGUSTINUS lib. 3. de Baptismo contra Donatistas c. 6. [C. an. Chr. 412. in Africa.]

Veritati & rationi Consuetudo est postponenda.

Veritate manifestata, qui cedit Consuetudo veritati: plane respondeo, Quis dubitet veritati manifestatae debere Consuetudinem cedere? [Item.] Nemo Consuetudinem rationi & veritati preponat: quia Consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

V. Item GREGORIUS a Wimundo, Aversano Episcopo. [C. an. Chr. 1075. Romae in Campaniam.]

Qualibet Consuetudo veritati est postponenda.

SI Consuetudinem fortassis opponas, advertendum quod Dominus dicit: Ego sum veritas & vita. Non dixit, Ego sum consuetudo, sed, veritas. 1. Et certe (ut beati Cypriani utatur sententia) qualibet Consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus qui veritati est contrarius, abolendus.

Corr. Rom. a Gregorius. In aliquot manuscriptis, & apud Ivonem est, Gregorius VII. Et in hujus Pontificatu Guitmundus Aversanus Episcopus scripsit de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium, qui Liber extat.

VI. Item AUGUSTINUS lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 5. [C. an. Chr. 412. in Africa.]

Veritate revelata, Consuetudinem sibi cedere oportet.

Qui contempta veritate praesumit Consuetudinem ferre, qui, aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur; aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur. [Et infra.] In Evangelio Dominus, Ego sum, inquit, veritas: non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedit Consuetudo veritati. [Et infra.] Revelatio facta veritatis, cedit Consuetudo veritati: quia & Petrus, qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem praedicanti. [Et infra.] Cum Christus veritas sit, magis veritatem, quam Consuetudinem sequi debemus, quia Consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Corr. Rom. a Cedit Consuetudo. Apud B. Augustinum, & Ivonem, & in Pannormia legitur, cedit error. Sed verè B. Augustinus ex ipsiusmet Zosimi verbis colligit, quod ille errorem appellabat, fuisse Consuetudinem. It enim respondet: Noluit quidem iste dicere, Consuetudinem, sed errorem. Veruntamen, cum dicit, quia & Petrus, qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem praedicanti, satis indicat, quod aliud etiam de Baptismo fieri solebat. Quia Consuetudinem. Verba haec usque ad finem,

apud Ivonem & Gratianum satis commodè hic adnectuntur, repetita ex verbis Felicis, quae referuntur supra, can. veritate.

VII. AUGUSTINUS lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 5. [C. an. 412. in Africa.]

Consuetudo rationi frustra opponitur.

Frustra, inquit, quidam, qui ratione vincuntur, Consuetudinem nobis objiciunt, quasi Consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Spiritu sancto revelatum. Hoc plane verum est, quia ratio & veritas Consuetudini praepositenda est. Sed cum Consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.

VIII. Item CYPRIANUS in Epist. ad Pompeium contra Epist. Stephan. [C. an. 254. Carthagine in Asiam.]

Rationem Consuetudo impedire non debet.

Consuetudo, quae apud quosdam obreperat, impedire non debet, quominus veritas prevaleat, & vincat. Nam Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relictum errore, sequamur veritatem, scientes, quia & apud Aethiopes veritas vicit, sicut scriptum est: Veritas manet, & involabit in aeternum, & vivit, & obtinet in saecula saeculorum.

Idem in Epist. ad Jobannem, circa med. [C. an. 258. in Africa.]

Ignosci a potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit Apostolus Paulus: Qui primo, inquit, sui blasphemus, & persecutor, & injuriosus: sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero, & revelationem factam, qui in eo quod erraverat, perseverat; prudens & sciens sine venia ignorantiae peccat: praesumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.

Corr. Rom. a Ignosci. Apud B. Cyprianum legitur: Ignosci enim potest, & his antecessit ea, quae leguntur supra c. frustra. usque ad verbum revelatum.

CONTIUS. Caecilius Cyprianus Carthagenensis Episcopus & Martyr, fedit sub Decio & Gallo & Valeriano Tyrannis, circa annum Christi ccl. & cclxxi.

IX. IDEM lib. 2. Epist. 3. ad Caecilium. [C. an. 252. in Africa.]

Dei veritatem, non hominum Consuetudinem sequi oportet.

SI solus Christus audendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit: sed quid, qui ante omnes est, Christus, prior fecerit. Neque enim hominis Consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Etsiam Prophetam Deus loquatur, & dicat: Sine causa autem volent me, mandata & doctrinae hominum docentes.

Liquido igitur apparet, quod Consuetudo naturali Juri postponitur.

JUS NATURALE PREPONITUR LEGI AC CONSTITUTIONIBUS. DISTINCTIO IX.

QUOD autem & Constitutio naturali Juri cedat, multiplici autoritate probatur. Ait enim

I. AUGUSTINUS ad Bonifacium Comitem, Epist. 50. [Circ. an. Chr. 417. in Africa.]

PALEA a.

Leges Principum naturali Juri prevaleare non debent.

Imperatores quando pro salute contra veritatem constituent malas Leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes: quando autem pro veritate contra salutem constituent bonas Leges, terrentur scientes, & corriguntur intelligentes. 1. Quicumque ergo Legibus Imperatorum, quae pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Quicumque vero Legibus Imperatorum, quae contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande praemium.

2. Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec evertentur quae contra praescepta fuerant instituta, culpantur; & qui prohibuerunt & evertentur, super aliorum merita laudantur. Et Rex Nabuchodonosor, cum servus esset idolorum, constituit sacrilegum Legem, ut simulacrum adoraretur; sed ejus impia Constitutio qui obedire noluerunt, pie fideliterque fecerunt. Idem tamen Rex divino correctus miraculo, piam & laudabilem Legem pro veritate constituit, ut quicumque diceret blasphemiam in Deum a Sidrac, Misac, & Abdenago, cum domo sua penitus interiret.

Corr. Rom. a Palea. In exemplaribus antiquis Gratiani, in quibus aut nulla, aut paucæ paleae, hoc loco habetur tantum a veris. Quicumque usque ad veris.

Nam & temporibus. In aliis autem, in quibus sunt, habetur integrum hoc Caput, & sine nota Palea. Est autem totum in eodem B. Augustini loco.

Quicumque. Commutatus etiam apud Ivonem & in Pannormia est ordo verborum B. Augustini, apud quem qui meretur praemium, priore; qui supplicium, posteriore loco ponitur.

PITH. Imperatores. Vide Conrad. Ursperg. p. 296.

II. Item ex verbis ISIDORI lib. 3. Sententiarum, de Junno Bono, c. 53. [Circ. ann. Chr. 625. in Hispania.]

Principes tenentur & ipsi vivere Legibus suis.

Iustum est Principem Legibus obtemperare suis. Tunc enim Jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam praebet. Principes Legibus teneri suis, nec in se convenit posse damnare Jura, quae in subjectis constituunt. Iusta est enim vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.

Corr. Rom. In aliquot vetustis exemplaribus Caput hoc non habetur: in aliis vero conjunctum est superioribus, & non habet rubricam.

III. Item AUGUSTINUS in Prologo lib. 3. de Trinitate. [Circ. an. Chr. 400. in Africa.]

Scripturis Canonice Tractatorum litera deseruiunt.

Noli meis literis quasi Canonice Scripturis inservire. Sed in illis, & quod non credebas, cum invenieris, incunctanter crede: in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.

IV. IDEM ad Vincentium Victorem, lib. 4. de Anima, & ejus origine, cap. 1. [fortè an. Chr. 419. ibid.]

In Tractatorum opusculis multa corrigenda inveniantur.

Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quae possint iusto judicio, & nulla temeritate damari.

V. IDEM ad Hieronymum, Epist. 19. [fortè an. Chr. 405. ibid.]

In Scriptis Canonice mendacia non admittuntur.

Go folis meis Scripturam, qui jam Canonice appellatur, didici hunc timorem honoremque deferre, ac ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere: ac si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non affectum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaeque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi a per alios Auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere poterunt.

Corr. Rom. a Mibi per alios. Sic etiam in manuscriptis, & in Glossa. Apud B. Augustinum est, mibi vel per illos Auctores canonicos vel probabili ratione, nec multo secus apud Ivonem. Alias vero nonnullas varietates fatis visum est in margine indicare.

VI. IDEM a [Hieron. c. ann. Chr. 400. è Syria in Hispaniam.]

Libris veterum Hebraea Volumina, novis Graeca auctoritatem impendant.

UT veterum Librorum fides de Hebraeis Voluminibus examinanda est; ita novorum, Graeci sermonis normam desiderat.

Corr. Rom. a Idem. Verba hujus Capituli sunt B. Hieronymi ad Lucinium Boetium Epist. 28. sed mutata non est inscriptio ob Glossam in verbo Graeci.

VII. Item AUGUSTINUS ad Hieronymum, Epist. 9. [an. Chr. 397. in Africa.]

Nihil auctoritatis Canonice remanebit Scripturis, si ad eas mendacia fuerint admissa.

SI ad Scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quae tamen de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentio salutaris obteratur improbitas?

VIII. Item IDEM de Baptismo contra Donatistas, lib. 2. c. 3. [C. an. 412. ibid.]

Literis omnium Episcoporum sacra praepositur Scriptura. Uis nesciat sanctam Scripturam Canonice tam veteris, quam novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita praeponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit quicquid in ea scriptum esse consiterit? Episcoporum autem lite-

GRATIAN. 2. Pars. DIGNITATE vero Jus Naturale simpliciter prevalet Consuetudini & Constitutioni. Quaecumque enim vel Moribus recepta sunt, vel Scriptis comprehensa, si naturali Juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt. Unde ait

GRATIAN. 2. Pars. DIGNITATE vero Jus Naturale simpliciter prevalet Consuetudini & Constitutioni. Quaecumque enim vel Moribus recepta sunt, vel Scriptis comprehensa, si naturali Juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt. Unde ait

GRATIAN. 2. Pars. DIGNITATE vero Jus Naturale simpliciter prevalet Consuetudini & Constitutioni. Quaecumque enim vel Moribus recepta sunt, vel Scriptis comprehensa, si naturali Juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt. Unde ait

GRATIAN. 2. Pars. DIGNITATE vero Jus Naturale simpliciter prevalet Consuetudini & Constitutioni. Quaecumque enim vel Moribus recepta sunt, vel Scriptis comprehensa, si naturali Juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt. Unde ait